

Biogr. er. D

1557, 16

MEMORIAM
VIRI. PLVRIMVM. REVERENDI
PRAENOBILISSIMI. DOCTISSIMI. QVE
M. IOAN. GODOFREDI. CLEEMANNI

DIACONI. QVONDAM. AD. D. IACOBI. CHEMNICENSIS
MERITISSIMI

RENOVARE. STVDET. SIMVL. QVE

AD

ACTVM. VALEDICTORIVM

D. VI. CAL. MAII. A. R. S. clō 1800 LXIII.

INSTITVENDVM

EA. QVA. DECET. OBSERVANTIA

INVITAT

M. IOAN. GEORGIVS. HAGER

RECTOR.



CHEMNICII
LITTERIS. IOAN. CHRISTOPH. STOESSELII

Biogr. erud.

D. 1557, 16



pud omnes, ut constat (a), fere gentes mos laude inoleuit dignissimus, ut mortuos suos eximiis honoribus dignos putarent superstites. Quid, quod sapientissimis cautum erat legibus, ut eorum memoriam religiose conseruarent. PLATO (b) ille diuinus nos reddit certiores de Graecis: Τὰς τε αὖ κατ' ἐνιαυτὸν τῶν ἡδὴ, τέλους ἐχόντων ὡσαύτως ἐπιμελίας τὰς πίσμον φερέσας ἀποδίδοναι, τῷ τε μὴ παραλέπειν μνήμην ἐνδελεχῇ παρεχόμενον, τούτῃ μάλιστα αἰὲν πρεσβεύειν, δαπάνης τε τῆς δεδομένης ὑπὸ τύχης τὸ μέτριον τοῖς πενήμοσι νέμοντα. Ταῦτ' οὖν ποιῶντες καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντες ἑκάστοτε ἑκάστοι, τὴν ἀξίαν αὖ παρὰ θεῶν καὶ ὕσαι κρείττονας ἡμῶν κομιζόμεθα, ἐν ἐλπίσιν ἀγαθῶν διαγόντες τὸ πλεῖστον τοῦ βίου. Annuas quoque curas defunctorum, quae ornamentum afferunt, instaurare decet, et noua quotidie repetita memoria semper parentes summopere honorare, impendio moderate pro fortuna utentes. Si haec seruabimus, vitamque semper ita agemus singuli, digna a diis ceterisque natura nostra superioribus omnibus praemia reportabimus, plurimum bona cum spe viuentes. Cum hoc instituto Graecorum conueniunt quoque leges Romanae testante CICERONE (c): Deorum manium iura sancta funto. Hos leto datos diuos habento. Sic etiam reliqui huius vniversi incolae antiqui Hebraei, Aegyptii, Persae, Germani alique populi pro eo, quo quisque ducebatur, studio varia sacra, sacrificia, ludos, epulas, ferias, parentationes, laudationes funebres, pyramides, catacumbas monumenta, inscriptiones aliosque complures excogitarunt ritus, quibus amorem et honorem erga suos defunctos demonstrare volebant. Quamuis autem plerumque hi populi a vera aberrauerint via, mortuis suis diuinos exhibendo honores: Non omne tamen eorum, sed nimium et superstitiosum reiiciendum est studium. Non res, sed modus culpandus est. Sic enim ipse SIRACIDES (d): Laudemus, inquit, sane nobiles viros et nostri generis parentes, per quos multam sibi gloriam peperit Dominus, quae est eius ab omni aeternitate magnitudo. Qui in regnis suis dominati sunt, viri poten-

(a) V. I. A. FABRICII Bibliographia antiquaria c. XXIII. p. 1019. seqq. Edit. amici nostri b. defuncti PAVLLI SCHAFFSHAUSENII, Hamb. 1760. 4.

(b) De Legib. Lib. III. p. 833. Edit. MARCELLI FICINI, Francof. 1602. f.

(c) De Legibus Lib. II. c. 9.

(d) Ecclesi. XLIII, 1. seqq.

76, 47

potentia celebres: qui ingenii consilio valuerunt: qui prodiderunt oracula, qui consiliis et publicarum litterarum peritia populo praefuerunt, quorum in doctrina sapienter dicta sunt. Et sanctissimus ille summi regis legatus PAVLVS Hebraeos suos et omnes sic excitat ad officia mortuis praestanda (e): Mementote eorum, qui vobis praesunt, qui nobis diuinam exposuere doctrinam, quorum intuentes euentum morum, imitamini fidem. Aequum piūque ergo est suos etiam post mortem honorare parentes aliosque benefactores generis humani, praecipue si recte vixerint et bene egerint. Hinc ortum esse videtur tritissimum illud: de mortuis non nisi bene. Hinc CHILO Lacedaemonius recte dixit (f): τὸν τετελευτηκότα μὴ κακολόγει, ἀλλὰ μακάριζε, de mortuo ne dic mala, sed beatum illum praedica. Haec igitur a cana venerabilique antiquitate repetita et legibus diuinis suffulta consuetudo, quid, quod schola nostra Chemniciumque a me postulare videtur, vt sub discessu duorum optimae indolis fratrum e gremio nostro dimittendorum IOAN. GOTTLÖB. et IOAN. AVGVSTI CLEEMANNI *parenti* eorum b. defuncto ipsisque immatura morte erepto, idem officium praestandum putem, quod olim antecessor meus doctissimus M. DAN. MÜLLERVS eorundem *avo* M. GODOFREDO CLEEMANNO, Diacono Chemnicensi meritissimo sub discessu *patruelis* M. CAROLI GODOFREDI CLEEMANNI, Pastoris nunc Auerwaldensis, omni laude dignissimi, praestitit memoriam et laudes illius posteritati commendans (g).

Nomini CLEEMANNIANO celeberrimo, praecipue vero memoriae et laudibus discipuli scholae quondam nostrae pii, diligentis, obedientis atque modesti et per triginta annos ad D. Iacobi concionatoris meritissimi, viri plurimum reuerendi, praenobilissimi doctissimique M. IOANNIS GODOFREDI CLEEMANNI, haec nostra qualiscunque prolusio sacra esto. Plurimum venerabilis noster CLEEMANNVS parentibus vsus est piis, omnibusque virtutibus ornatis, nimirum patre, viro admodum reuerendo, praenobilissimo amplissimoque M. GODOFREDO CLEEMANNO, ab initio Concionatore castrensi in legione
):(2 Flem-

(e) Hebr. XIII, 7.

(f) Sic haec verba ex Stobaeo CAMERARIUS Lib. I. Hor. Subcis. c. 3. p. 10. adduxit. DIOGENES vero Laert. ita refert: Τὸν τετελευτηκότα μὴ κακολογῆν, mortuo non maledicendum. V. L. I, c. 3. n. 2. p. 71. Edit. P. D. LONGOLII. Curiae, 1739. 8.

(g) V. Progr. b. MÜLLERI d. XV. Cal. Iun. A. clō Idcc xxi, in fol. publicatum.

Flemmingii, deinde concionatorum castrensium Sax. capite, postea diacono et tandem archidiacono Chemnicensi ad D. Iacobi optime merito, et matre IOANNA ELISABETHA WEISIA, illustris IOAN. WEISII, supremi dicasterii prouincialis per Lusatiam inferiorem, quod Lubenae est, consiliarii, consistoriique ibidem ducalis Assessoris grauiissimi, filia natu maiore. Natus autem est Chemnicii die xvi. Maii A. R. S. clo lccc. quem statim die sequenti scilicet d. xvii. Maii sacro lauacro abluendum curarunt laeti parentes. Quo foedere cum Deo facto sanctissimo, crescentibusque annis ita viribus corporis et dotibus animi praeclaris noster creuit puerulus, ut non solum de eo bene sperare, sed etiam confidere parentes possent sui, talem aliquando futurum, qualem optatum parentes viderunt, et cognitum postea Chemnicium nostrum coluit et adhuc post fata veneratur. Quum igitur a primis statim vnguiculis docilitatem ingenii egregiam in eo animaduerneret parens praeceptoribus primum domesticis, deinde vero publicis eum tradidit. In tertia nostra, quam hodie multi, sed inique, contemnere solent, classe a M. I. KRANEWITTERO, Tertio, non solum fundamenta pietatis, sed etiam elementa linguae latinae et graecae et a Cantoribus GODOFR. VOGELIO et I. CHRIST. GERSTNERO Musicam celeriter arripuit. His fundamentis rite iactis in secunda classe sub Conrectoribus M. GODOFR. PLAENCKNERO, et M. CHRIST. HENR. WEISIO, affine suo, et in prima classe sub Rectore M. DAN. MÜLLERO ita in iis, quae ab humanitate nomen habent, studiis, profecit, ut optima cum laude d. xxiii. April. Anno clo lccc xxi. musis nostris publice valediceret. „De eo aut patriam, aut, si deo ita visum fuerit, alium locum praeclara „quaecumque expectare posse, in publico pronunciauit praeclarissimus Rector „testimonio (h). Rara, pergit laudatus MÜLLERVS, homines florentis „aetatis, quae cerea est in vitium flecti, sine exceptione laudantur. At „de Cleemanni pietate sincera, assidua diligentia, prompta obedientia, „grataque modestia iure ita commemoro, ut, quid excipiam, nil videam. „Loco prolixae igitur laudis prolixo animo admodum reuerendo, amplif- „simo atque doctissimo Dn. parenti, quem Chemnicio diu seruet diuina „clementia, et nobilissimae matri de tantae spei filio gratulor, quem ex- „pectationem sui tuiturum esse, certus confido. Hic dum in eo totus fuit, „est et erit, ut ignorantiam expellat animo, cuius morbus esse solet, sub „disces-

(h) V. MÜLLERI Dissertat. IX. de doctis Chemnicensibus extra patriam bene exceptis promotisque actui valedict. CLEEMANNI nostri praemissam. Chemn. 1721. fol.

„discessum de crassa doctorum quorundam ignorantia latina verba faciet,
 „carmineque germanico vale nobis dicet.,, Egregio hoc testimonio
 munitus et precibus suis indefessis fretus almam abiit Lipsiam studium
 Theologiae exculturus. Philosophiam ipsum docuit celeberrimus MÜL-
 LERS, Theologiam summe reuerendi PFEIFFERS, BOERNBRVS, KLAUSIN-
 GIVS, atque DEYLINGIVS, eloquentiam sacram BERNDIVS et linguam he-
 braeam STARCKIVS. Primum diligentiae suae praemium A. clō 1666 xxiii.
 d. 16. Octobr. ab ordine amplissimo Philosophorum Vitebergensium,
 nimirum titulum et iura Magistri obtinuit. A. clō 1666 xxviii. ipsam salu-
 tauit academiam Vitebergensem ibidemque in Theologicis et Historia
 Ecclesiastica summe reuerendos WERNSDORFIVM, CHLADENIVM, IAHNVm
 atque SCHROBERVM et in Historia et Iure publico celeberrimum SPENERVM ea,
 qua decet, diligentia cum fructu eximio audiuit. Eodem hoc anno se
 contulit Dresdam, vbi a supremo senatu Dresdensi sacro examinatus et
 optimo suae doctrinae testimonio exornatus est. Vitebergam redux fa-
 ctus et laudabili cursu studia sua prosequutus A. clō 1666 xxv. sub Praesi-
 dio Magnifici D. GOTTL. WERNSDORFII Disputationem theologicam de
 pace in cordibus fidelium *ἡσυχία* ad Col. III, 15. proprio Marte elabo-
 ratam insigni cum plausu publice defendit. Cursu deinde studiorum suo-
 rum feliciter peracto A. clō 1666 xxvi. maxima cum gratiarum actione
 pro tam benigno praestito auxilio rediit in patriam. Hic nunquam turpi
 in otio vixit, sed potius praestantissimum studiorum suorum cumulum
 quotidie adhuc adangere sedulo laborauit et saepius coram populo di-
 cendo specimina praeclara edidit. Sic rite praeparatus ab amplissimo
 Senatu Chemnicensi parenti suo optimo, tunc temporis Archidiacono et
 imbecilli senectute confecto d. X. Maii A. clō 1666 xxviii. anno aetatis vi-
 cesimo septimo socius laboris sacri legitime vocatus est, quod sacrum
 munus adiuuante DEO omni, qua fieri potuit, pietate, fide et dexteritate
 per decem annos administravit. Mortuo vero parente A. clō 1666 xxxvii.
 d. 5. Martii ab eodem Senatu amplissimo Diaconi munus ad D. Iacobi bene-
 uole obtinuit et ad extremum vsque vitae halitum ita gessit, vt integerrima
 sua vita, egregia doctrina, excellentibus ad sacrum munus subeundum
 necessariis ingenii dotibus, suauitate oris, modestia insigni et labore suo
 indefesso vnus omnium maxime floreret et gloriam a maioribus suis ac-
 ceptam non tam retineret, quam potius optimam nominis CLEEMANNIANI
 famam mirifice augeret. Cum collegis suis, quorum in numero prae-
 cipue

cipue hic maximo in honore adhuc floret vir Summe reuerendus IOAN. FRIDER. GVHLINGIVS, S. S. Theologiae Doctor celeberrimus, Diœceseos nostrae excellentissimus Superintendens scholaeque nostrae grauiissimus inspector, tunc temporis Archidiaconus meritis, coniunctissime et cum amicis intima vixit familiaritate. Testes huius rei praeterea erunt certissimi viri admodum reuerendi et de muneribus suis adhuc optime merentes M. IOAN. GABRIEL BEILIVS, ad. d. Ioan. Pastor, M. SAM. AVGVST. LVNGHANSIVS muneris et thori sui successor, nunc Archidiaconus ad d. Iac. cui M. Io. MICH. MEHLIGIVS ad. d. Iac. Diaconus successit. Testis erit curia, schola et tota ciuitas, quae mortem illus adhuc lūget. Accidit vero illius mors d. xxxi. Iul. A. clō lccc lviii. postquam XXX. annos muneri suo sacro cum laude praefuit insigni et LVII. annos X. hebdomades et VI. dies vixerat. Quem admodum vero optimus ouium Christi apud nos fuit pastor: Sic etiam optimus fuit pater familias postquam d. vii. Iun. A. clō lccc xxxiiii. cum lectissima virgine DOROTHEA CATHARINA, IOAN. HENR. ab ELTERLEIN, rei ferrariae, vulgo Pfeilhammer dictae in Klein Pöhla prope Schwarzenbergam sita, haereditarii filia inierat coniugium, quae ipsi tres peperit filios, sed praematura morte defunctos (i) et tandem ipsa d. xxviii. Febr. A. clō lccc xxxix. a morte ipsi erepta est. Luctu mitigato secunda deinde celebrauit vota cum castissima CHRISTIANA DOROTHEA viri plur-

(i) Horum primogeniti optimae spei filii et nostrae doctrinae diligentissimi quondam alumni Ioan. Godofredi d. 23. Iun. A. 1735. nati d. 21. April. 1751. de nati memoriam inscriptione quadam elegantissima adiecta Nouo Testamento ex versione LXX. interpr. cura IOAN. IAC. BREITINGERI, Tiguri, 1730. 4. Voll. IV. edito et Bibliothecae nostrae publicae dicato moestissimus pater conseruare studuit, cuius beneficium saepius nobis demonstratum animum gratissima adhuc mente agnoscimus. Hac data quoque occasione gratias agimus viro praenobilissimo, amplissimoque TRAVGOTT PLAENCKNERO, Camerae electoralis Iure consulto, censuum Receptori & Inspectori scholae nostrae grauiissimo, pro benenole Bibliothecae nostrae dono oblato. Dedit nimirum 1) M. T. Cicéronis opera ex Petri Victorii codicibus descripta Parisiis, 1539. f. tribus tomis. 2) Celeberrimos ad pacificandum Christiani nominis orbem Legatos Monasterium & Osnabrugas missos Anselmi van Hulle penicillo elegantissime expressos & caelo repraesentatos, Antverpiae, 1648. in f. editos. Hanc beneuolentiam erga bibliothecam parentis & auunculi imitantes Bibliothecae D. Martini Chemnitii Examen Concilii Tridentini, Geneuae, 1641. f. obtulerunt Abiturientes nostri.

plurimum reuer. M. GODOFREDI PLAENCKNERI, Diaconi quondam
ad d. Iac. meritissimi filia d. iv. Sept. A. clō 1000 XLII. ex qua suscepit 1. fi-
liolam *Fridericam* d. 3. Octob. A. clō 1000 XLIII. natam et denatam. 2. *Ioan-*
nem Gottlobium d. 15. Iun. A. clō 1000 XLV. 3. *Ioannem Augustum* d. 18. Aug.
A. clō 1000 XLVII. musis nostris cum laude nunc valedicturos. 4. *Ioannem*
Fridericum d. 7. August, A. clō 1000 L. scholam nostram diligentissime
frequentantem, & 5. *Dorotheam Fridericam* d. 18. Octobr. A. clō 1000 LIII.
Sed haec foecundissima mater grauisimo morbo afflicta d. 30. Octobr. A.
clō 1000 LIII. in acerbissimam mariti liberorumque moestitiam placide obiit.
Quum vero propter grauitatem muneris educationi liberorum suorum
pro eo, vt optauerat, modo se imparem videret, tertiam sibi coniugem
liberorumque matrem eligendam esse duxit, quam etiam sub auspiciis di-
uinis feliciter inuenit. Anno nimirum clō 1000 LVIII. d. 17. Ian. thori
sociam sibi elegit omnibus virtutibus maxime conspicuam virginem IO-
ANNAM FRIDERICAM b. defuncti IOAN. BENIAMIN. PFEILII,
mercatoris Freybergensis filiam, in aedibus auunculi sui IOAN. CHRI-
STOPH. STOESSELII, prudentissimi apud nos Senatoris et Bibliopolae
optime educatam, cum qua nunc vitam ex voluntate dei longaeuam tran-
sfigere putauit. Sed Deo nostro aliter visum fuit. Peractis enim viginti
et septem hebdomadibus et sex diebus morbo correptus inter deuotissima
suorum suspiria e vita beate decessit. Post mortem illius moestissima
vidua, nunc viro plurimum reucrendo, M. SAM. AVGVST. IVNG-
HANSIO, tunc suo successori, nunc Archidiacono meritissimo nupta, et
veneranda focus SOPHIA DOROTHEA PLAENCKNERIA, nata
KAENDLERIA, et iuris consultissimus auunculus PLAENCKNERVS
liberorum suorum educationem in se susceperunt. Faudente etiam diui-
na gratia et his sapientissimis ducibus carissimi hi CLEEMANNI relict
liberi in pietate omnibusque, quibus iuuenilis aetas impertiri solet, arti-
bus feliciter adoleuere et adhuc proficiunt proficientque. Horum natu
maiores

Ioannes Gottlobius &

Ioannes Augustus Cleemannus,

Chemnicenses,

Fidei

Fidei et doctrinae nostrae concrediti optima vestigia optimi parentis felicissime prefferunt et in pietate haud fucata, morum suauitate et in iis, quae reliqua ornant studia, studiis, nec non in latina, graeca, hebraica et gallica linguis egregios fecerunt progressus, quorum etiam prior actu publico A. clō 1666 LXIII. instituto de fructibus pacis orationem latinam habuit et posterior carmine latino eandem decantauit pacem. Nunc vero academiam Lipsiensem repetituri Musis nostris publice valedicent carm. germ. praemissa *oratione latina* a *Gottlobio* de beneficiis scholis exhibitis, reliquis praestantioribus, ab *Augusto* vero *oratione graeca* de Genio Sacra-
tis. Felicissimum studiorum successum ipsis ex animo precamur. Idem quoque faciet carmine teutonico diligentissimus et optimae spei et indo-
lis noster commilito suauissimus

Carolus August. Iunghansius, Baerenstein. Misn.

habita oratione germanica de castris Israelitarum in locis desertis.

Nunc VOS, *Patroni ac Fautores maximopere deuenerandi* ea, qua decet, obseruantia rogo atque obtestor, vt pro eo, quo nos saepius exhilarastis, fauore et amore etiam in praesenti nos benignissime exhilarare velitis, pro quo beneficio nos VOBIS pollicemur obstrictos. Chemnicii,

d. 24. April. A. R. S. clō 1666 LXIII.



